



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

29. Dies Decemb. Cùm nascitur Christus; oritur origo rerum. S.
Chrysologus serm. 148.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

b.
so-
am
pe.
en-
si-
ali-
jus
ras
s in
mul
em
lus
ò si
or-
en-
ex
eia
in
ra-
ur,
to-
eei
cià
ibi
ne-
Ad
in
nia
na-
O-
u-
la,
Decemb.

Tessera.

1047

mula, vel accide; negotiis meis successum promote, vel everte; Amores, erga me hominum excita, vel o- dia permitte; sapientiam, famam, eruditionem, fa- cundiam adde, vel deme. Nihil jam horum precor, vel deprecor; sit, quodcunque voles. Amorem tui solùm, cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis: nec aliud quidquam ultrà posco.

Unum, Christe peto, misero me surripe leto.

29. DIES DECEMB.

Cùm nascitur Christus; oritur origo rerum. *S. Chry-*

sologus serm. 148.

Christi I.
perfectio-
nes.

Christus, qui, ut Deus in sinu Patris in principio erat Verbum; qui, & in tempore, in principio creavit cœlum, & terram, est rerum omnium origo, à qua una omnia oriuntur. Outinam! sicut ipse est origo omnium terum; ita sit & origo omnium nostrarum actionum! Imò, sicut ipse est non modò Alpha, hoc est principium; sed & Omega, id est finis: sic & idem sit omnium nostrorum; & à quo ordiamur, principium, & propter quem agimus, finis operum. Et ad quem potius referemus omnia, quam ad Je- lūm? in quo, ex quo, & per quem sunt omnia; cùm, quæ singula, Amorem excitant; in eo copula sint universa. In illo est cœlorum puritas, siderum harmonia, solis niter, imbrium fæcunditas, florū pulchritudo, silvarum amoenitas, camporum u- bertas, picturarum elegantia, musicæ dulcedo, gemmarum virtus, palatiorum splendor, urbium maje- stas, templorum magnificètia, munitionum robur, exercituum potentia, epularum oblectatio, ludorum

Vuu 4

jucun-

jucunditas, amicitiarum voluptas, fortium claritas, riparum viror, auri pretium, purpuræ decus; verbo, meritum, dignitas, amabilitas rerum omnium. Quæcunque in cælo, vel terra sparsa sunt, collecta tenet; & ita tener, non quo modò in illis affulgent, sed præstantiâ infinitis gradibus altiori; adeo, ut laudes ejus attollere, per comparisonem cum perfectionibus rerum conditarum; si res ipsa, non affectus ponderatur, sit ironia, & ejus irrisio, non laudatio astimanda.

II. Sicuti si quis de Sampsoni diceret, illum formicâ robustiorem esse; aut de Davide, illum lepori, magnitudine animi præstare: nonne illum contumeliam eos afficere, & irridere putaretur? At Christus multò magis supra perfectionem omnium creaturorum eminet; quam supra formicam, Sampsonis robur, & supra leporem, Davidis alacritas. Amabilis est Jesus, ob res ab eo conditâs, & ob gratias nobis exhibitas; sed longè amabilior, ob gratias quas in se habet. Accepta sunt mihi tua, ô Jesu! beneficia; sed acceptior est mihi Bonitas tua. Pulcher es in omnibus operibus tuis; sed pulchrior in Natura tua. Cara mihi sunt munera tua: sed carior est dextera, quam munera porrigit. Amo igitur Te, Jesu, amor meus! quia bonis tuis me cumulas: sed etiam, si his retractis, omnibus malis me subjiceres, Te amarem; quia Amor meus erga Teflammam concipit; non tam ob id, quod ego sum ex munere Tuo; quam ob id, quod Tu es ex Natura tua. Ah! nimis abjectus foret iste amor meus; si solùm ideò Te amarem, quia donis tuis divitem me facis: testudineus hîc amor esset, per humum creaturum tuarum repens, cùm ego illum cupiâ assimilari capre^x

capreæ, hinnuloque cervorum, super montes aromatum, id est, Divinarum perfectionum. Amor, qui solum opibus tuis, quas nobis elargiris, inhæret, patrem se facit pecudibus; quæ semper in humum prænæ, herbis pascuntur, quas Sol producit: ad Solem verò ipsum, parentem pabuli sui, oculos attollere non curant. At ego volo Amorem meum evolare, ut Aquilam, & oculis pura luce tua defixis, radiis Divinitatis tuæ, unde omnia cætera bona mihi promanant, paſci.

III. Quid moramur, Anima mea? quid roris, qui à Jesu profluunt, nostrum Amorem rigamus? Patet fons omnibus non in cisterna, sed in spelunca Bethleem. O origo, in ipso tuo principio immensa! ô perfectionis omnis circulus, & centrum! Apud Te consilium: apud Teratio: apud Te cogitationes pulcherrimæ & infinitæ, & reum omnium scientiæ & artificiorum inventa, & causarum, & naturarum, & innumerabilium mundorum cognitiones habitant. Quid memorem Beatitudinem tuam? quæ omnibus gaudiis tam exaggerata est, ut nihil illi addi, tam stabilis, ut nihil illi deini possit: tam Tibi propria, atque innata, ut Tuum vivere, sit beatè vivere. Quid æternitatem, qua tum omnes tuas perfectiones, tum omnes mobilium temporum lapsus, in unicum firmum, & immobile punctum colligis? quid Magnitudinem, quæ modum non capit? quid Immensitatem, quæ omnia spatia excedit? quid Libertatem, quæ nullius imperio libatur? quid Immortalitatem, quæ nullo ævo carpitur? quid puritatem, ad cuius comparationem, Angeli, lutum, & materia sunt? Quanta jam est & Potentia tua, quæ Sa-

1050 *Christiani Militis* Decemb.
pientiam nusquam deserit: sed quidquid fieri posse
intelligit, hæc facere potest, & facere potest volendo,
Tuum velle, posse est: & promptius Tibi res est effi-
cere; quam nobis cupere, aut fingere. Nam nec ser-
vis Tibi, nec molitione opus est; ad unicum vocis
tuæ sibilum, ex nihilo suo mundi advolant, & ante
Te provoluti, ac curvati dicunt: Ab sumus. O parve,
in fœno Deus! hæreo, stupeo, obrigesco: mens, sen-
sus, cogitatio, ratio me deficit; dum tua in Te, Te in
tuis contemplor. Tu solus mihi sufficis. Tu mihi fœ-
licitas, & gaudium; Tu Beatitudo, & vita: Tu Am-
or, & desiderium: Tu cœlum & terra: Tu unus,
mihi es omnia.

Fers ànimum lœsum; nisi ames super omnia Jœsum.

30. DIES DECEMB.

Tempus non erit amplius. Apoc. 10. 6.

Tempo- I.
ris utilis
usura.

Ui in novissima hora exierit è corpore spiritus; mox tibi di-
cetur: *Tempus non erit am-
plius.* Ut ergo, in hac vita,
quæ est Phase, (a) id est, transitus, sic transeamus per
bona temporalia, ut non amittamus æterna; imò ut no-
vissima hora, cum Christo transeamus (b) *ex hoc mun-
do ad Patrem*, suggero hoc penultimo anni die quæ-
dam documenta. Quot annis ad sex vel octo dies ab-
de te in solitudinem; & ut Christus, dic ad illam (c)
animi turbam tumultuantem: Recedite. Sequere con-
silium Ambrosii: (d) *Intra in recessum pectoris tui, to-
tus ingredere.* Edicet aliquot dies quoddam curatū,

ac fte-

(a) *Exod. 12.* (b) *Ioan. 13.* (c) *Matth. 9. 4* (d) *I. 5. at
acram. c. 3.*